SOLUS CHRISTUS

Totius mundi

EPISCOPUS,

Vel Concio ad Clerum

LONDINENSEM

IN

ECCLESIA

St. *ALPHAGE*,

April 18. 1676.

Car: Mason. Charles Mason, D.D.

LONDINI,

Excudebat *J. R.* Proſtat autem venale apud *J. Williams* ſub ſigno Coronæ, & *B. Took* ſub ſigno Navis, in Cœmeterio D. *Pauli*, MDCLXXVII.

(3), 43 f.

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

1677
E M41

Reverendo in Christo Patri

HENRICO

Domino Episcopo

LONDINENSI,

Et Serenissimo

CAROLO Secundo,

A Secretioribus Consiliis.

Antistes Venerande,

MIsera fuit Ecclesiæ conditio, cum in Synodo decretum fuerit (referente SULPITIO) ut Episcopi legerent Scripturas: Abundè

Abundè nobis Divina lux affulſit, at varietate luminum obnubilamur, adeò ut Civitatem ſupra montem collocatam cernere nequeant ii, qui tenebras ex luce derivarunt; quaſi conſpicuum non ſit, à quo pendet ſalus animarum, aut juſtum ſit Chriſtianos ænigmate SPHYNGIS judicari: aliter ſe res habere pro virili conatus ſum oſtendere Clero ſub veſtris Auſpiciis feliciſſimis conſtituto. Humillimè precor ut bono, quamvis imbecilli propoſito, ſaltem ignoſcas; Longum te Deus tueatur ad collapſam Eccleſiæ diſciplinam reſtituendam.

Reverentiæ veſtræ devotiſſimus

Carolus Malon

Coloſſians 1. 18.

Et ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ.

QUOD olim præfatus ſum de Miniſterio, multo magis jam dicendum eſt; Non ignoro, Viri ſpectatiſſimi, Fratreſque in Chriſto Chariſſimi, quantum opus aggredior; de Capite totâque Eccleſiâ dicere molimen ingens, immenſa eſt Abyſſus, *Cœlum undique & undique Pontus*; ad *Pixi-*

dem

dem & *Cynoſuram* reſpiciendum eſt, & nil deſperandum *illo Duce* qui conatus infirmorum boni conſulit, præſertim cum illius cauſam acturi ſumus qui corpus hoc adoptavit ſibi, cæmentotoque ſanguinis adunivit; *Fidere tam fas eſt quam dubitare nefas.* Proſperam ſibi navigationem pollicebantur Ethnici, ſi *Neptunus* arriſerit,& Victoriam, ſi *Mars* annuerit Caſſide.

Primo de Capite, Secundo de Corpore, Tertio de iis quæ conducunt ad ſanitatem & incrementum, utque ſuccedant hæc fæliciter in Dei gloriam & noſtrum emolumentum oremus,&c. multis nominibus Chriſtus Eccleſiæ caput dicitur, primo Eminentiæ ratione, *ſuper omnia collocatus*, Eph. 1. 21. *Super omnem principatum & Poteſtatem,& Virtutem,& Dominationem,& omne nomen, &c.* Se-

Secundo, Ratione communicationis, ab illo vitam ſpiritualem & motum derivamus, *eſt enim nobis non ſolum via & veritas ſed & vita.*

Tertio, Ratione gubernationis, nos enim dirigit & gubernat, quare, *poteſtas ejus ad terrarum fines extenditur*; Pſal. 2, Et ex eo totum *corpus connexum & compactum eſt*, Eph. 4. 16.

Quarto, Ratione protectionis, nam curam habet Eccleſiæ ſuo ſanguine redemptæ, cujus nobis fidem, facit, illa vox Cælitus emiſſa, *Saule, Saule, quid me perſequeris?*

Quæ omnia ſoli Chriſto θεανθρώπῳ competunt, ſolus ille *ſuper omne nomen*, ſolus ille *contra portas Inferni prævalere poteſt*; Deo minor impar fuiſſet Eccleſiæ gubernandæ, & ab inſultibus inimicorum protegendæ, ſolus ille poteſt Eccleſiæ Catholicæ per

præſentiam Divinitatis adeſſe, ſuamque vim per immenſi corporis membra diffundere, ſolus igitur eſt Chriſtus totius orbis Epiſcopus, quem Titulum *Bonifacius* ille *Tertius* uſurpavit, prius à *Gregorio* recuſatum. At omnis creatura rationalis imperio Papæ ſubjicitur, inquit *Moſconius* de Majeſtate Eccleſiæ Militantis, & idem habet cum Deo Tribunal, tanto ſuper omnes Principes, quanto illi ſuper ſubditos; & cum ageretur diu in Conſiſtorio an Papa dici poſſet Vice-Deus, tandem pro illo concluſum eſt; quod ad illum Textum attinet, *Da Cæſari quæ ſunt Cæſaris:* Illa verba Salvatoris, inquit, valebant tantum donec aſcenderat, exinde totus orbis Epiſcopo Romano ſubjicitur, & ſicut anima in totum corpus omnes ſuas operationes exercet,

exercet, ſic ſummus Pontifex directam in omnes Chriſtianos non ſolum ſpiritualem, verum etiam Temporalem Poteſtatem obtinet, inquit *Canon Herius Patricius* Romanus in Septimum *Aphoriſmoram Hippoc.* librum. O Miraculum! Non vinum ex aquâ, non apes ex bove ſtranguloſo, non mel ex cadavere Leonis; Sed (quod omni melle ſuavius eſt) ex Hippocrate ſcilicet, anima mundi, ſupremumque rerum omnium regimen derivatur nec melius ex ſacrâ paginâ conatur exprimere directum in omnes res & perſonas Dominium Papæ *proprium Argumentum attendite*; nam idem eſt quo utuntur *Circulatores*; *Ecce duo Gladii.* Quis tam fungus eſt, ut ſtatim non intelligat ſpiritualem unum & Temporalem alterum Petro concreditum

creditum? Heberior sit, necesse est, *Asino Balaami* qui districtum ensem in Angeli manu vidit & reformidavit; at Hæretici non cernunt, ideo non reverentur, at *Malchus* sensit, cujus auriculam *Petrus* amputavit: *Legimus mundum supra nihilum fundatum*, Job 26. Hoc imitati sunt Pontificii, cum ex Atomis tam immensam Papismi molem conflarunt, utque terreant infideles, Dei quoque fulmen & Olimpi sonitus imitantur, in diris *Anathematis*, ut illam, quam assumunt authoritatem suffulciant, quot *Tibicines* invenerunt *Baronius* & *Bellarminus*, quorum ille *Romæ* Clypeus, hic Gladius nominatur, primus ait post Secundum miraculum panum & piscium in *Tyro* factum, turbâ dimissâ, Christum *Petro* supremam potestatem attri-

attribuisse, quasi non ejus sapientia, bonitas, & justitia postularent ut palam id fieret à quo dependet salus animarum, si Romanis credimus.

2. Docuerunt Discipulos dicere, Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam (subintellige Romanam) cum tamen S. *August. Serm.* de tempore 13. Sciendum est, inquit, quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debemus, quoniam Ecclesia non est Deus, sed dei Domus & præpositio *in*, ait *Ruffinus*, distinguit creaturam à Creatore; quamvis *in* particula nullam revera differentiam faciat (prout notat doctissimus noster Cestrensis Episcopus in Symbolum) tamen is sensus tunc temporis obtinuit, ideo *Thom. Aquinas* 22. *ques.* 1. *a.* 9. Non dicimur credere

credere nisi in Deum; cum igitur Ecclesia Catholica sit creatura, videtur inconvenienter dictum, Credo in unam Sanctam Catholicam Ecclesiam: hanc Objectionem ita solvit, hoc est, inquit, intelligendum Secundum quod fides nostra refertur ad *Spiritum Sanctum*, qui sanctificat Ecclesiam, at paulo post, melius est, inquit, illam Præpositionem *In* omittere, pro quo Judicio authoritatem Papæ Leonis adducit.

Secunda Machina, quâ sibi potestatem summam arrogant, hæc est, in Ecclesiæ definitione, ponunt Romanum Pontificem, cui ut capiti ad hærendum est omnibus Christi fidelibus; Sic *Bellarminus*, *De Eccles lib. 3. Cap. 2.* contra Logicam, quæ rerum naturas in definitionibus à locis & personis abstrahit dein illius veri-

tate

tate ſuppoſitâ, nulla fuiſſet à Principio mundi Eccleſia uſque ad Tempus Chriſti & multis annis poſtea, quia nullus fuit Papa; & in Pontificum interregnis, quæ per duos annos fuerunt, & cum tres ſimul Papæ eligerentur, dubium fuiſſet quænam & an omnino eſſet Eccleſia, quia ſine Romano miraculo non poteſt Corpus ſine Capite ſubſiſtere; prout ferunt, St. *Dionyſium* ambulaſſe decollatum axillæ Capite ſuppoſito.

Tertio, Ut ſciatis quantæ molis fuerit ingentem illum *Coloſſum* intra *Romæ* muros inducere, videamus per quos gradus ut *Solomon* in Thronum, aſcendit. Monarchia, Regimen optimum, inquit Cardinalis *Bellarminus*; ideo in Eccleſia debet obtinere, ſed cur *Romæ*? *Petrus* il-

luc occubuit, illum excepit *Linus*, cui ſucceſſit *Anacletus*, qui Lampada tradidit *Clementi* & ſic in Secula, *&c.* Sed adhuc aqua quod aiunt, hæret; nam quæri poteſt quomodo à *Petro* non ſolum Epiſcopatus *Romæ*, ſed totius orbis derivatur? Reſpondetur *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, Mat. 16. *v.* 18, 19. *Tibi dabo claves*: *unde probare conatur Bellar.* quod Apoſtolus *Petrus* fuerit Eccleſiæ totius Caput & Princeps, loco Chriſti, ab ipſo Chriſto conſtitutus & ab illo ſuprematus in ſucceſſores Epiſcopos *Romæ* devolvitur. Nec dubito, inquit *Grotius*, quin *Petrus* ad illa Chriſti verba reſpexerit in Epiſt. primâ, Capite Secundo v. 5. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuprædificamini domus ſpiritualis*; ſed addit quomodo ſuper Petram ædificentur credentes: Obſcu-

Obſcurum non eſt cum *Paulo* iidem dicantur ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τ̃ Ἀποστόλων κ̀ προφητῶν, *Eph.* 2. 20.

Et Dei civitas dicatur habere duodecim fundamenta, in quibus inſcripta ſunt nomina duodecim *Apoſtolorum* in Apocalypſi 21. Neque enim obſtat quod *Chriſtus unicum fundamentum* dicatur, cum novum non ſit eaſdem ſimilitudines ad diverſas res diverſo modo ſignificandas adhiberi ſolere; nam & alibi *Paulus* ſe Architectum vocat, quod officium Chriſtus hic ſibi vendicat, neque vero aliter *Petræ* aut fundamenti nomen tribuitur Apoſtolis, quàm τὸ σώζειν, *Rom.* 11. 14. cum autem dicit Chriſtus οἰκοδομήσω, tempus illud reſpicit, quo *Petrus* fidem nactus ſolidiſſimam miſſi Spiritus auxilio primus omnium *Judæis*, *Act.* 2. 14.

deinde & Alienigenis erat annunciaturus id ipſum, quod antè profeſſus eſt, nempe Jeſum eſſe Chriſtum & Unigenam Dei filium, poſtquam nimirum Deus id ipſum apertiſſime declaraſſet, hunc ipſum Jeſum ad vitam reſuſcitando, quo invictiſſimo argumento *Petrus* hujus ſuæ profeſſionis veritatem probat, ideo Chriſtus paulo poſt hæc dicta, ex omni Apoſtolorum numero, *Petrum* cum duobus alteris (qui unà cum *Petro* Columnæ Eccleſiæ vocantur, *Gal.* 2. 9.) Teſtem eſſe voluit, ut antehac excitatæ *Jairi* filiæ in ſuæ Reſurrectionis quaſi *Arrhabonem*, ita tunc ſuæ metamorphoſeos, quæ futuræ gloriæ erat præſagium, & poſt Reſurrectionem Diſcipulis univerſis & nominatim *Petro* imperavit, ut in *Galilæam* irent ipſum

ſum illuc conſpecturi, & S. *Paulus* ſpecialiter etiam extra cætum Apoſtolorum, Chriſtum dicit *Petro* apparuiſſe, 1 *Cor.* 15.

Reſurrectionem igitur (cui conſequens eſt eum eſſe Chriſtum & Dei filium) crediderunt & *Judæi* & gentes tum communi Apoſtolorum tum peculiari etiam *Petri* Teſtimonio, qui hoc ipſum ſparſim per omnem *Judæam* perque omnem *Judæorum* διασπορὰν confirmavit vitæ ſanctimoniâ, miraculis, poſtremò etiam tolerata morte & quidem in urbe mundi Principe; per hunc modum *Petrus* factus eſt *Petra* ſive fundamentum Populi Chriſtiani.

At *D. Auguſtinus* in locum, hæc verba, ſuper hanc Petram, ipſi accommodat Chriſto, non *Petro*, ſuper hanc Petram quam confeſſus es,

quam

quam cognoviſti, dicens tu es Chriſtus Filius Dei vivi: ac Revera tamen Chriſtus fruſtrà dixiſſet *Tu es Petrus*, niſi ſubſequentia ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ ad *Petrum* referantur; num cenſebimus id temerè aut nullo conſilio factum à Chriſto? non eſt credibile. Conſtat igitur (& verò verba Chriſti hoc planè clamant) Chriſtum aliquid *Petro* promiſiſſe, σὺ λέγω emphaſin habent, ſubeſt iis pondus, ut Chriſtum ſtatuamus aliquid agere, quod ſit ſingulare; ſignificanter autem dixit οἰκοδομήσω, non οἰκοδομήσεις, ſibi reſervans ſupremam poteſtatem, licet aliquid collatum ſit *Petro*, quod non fuit reliquis Apoſtolis commune; nam eum ſeorſim compellat.

At quid illud tandem eſt, quod peculiare *Petro* indultum eſt? Non authoritas aut jus in reliquos Apoſtolos,

ſtolos, neque poteſtas ulla propriè Apoſtolica major & eminentior, multò minus illa juriſdictio quàm Epiſcopo Romano ejus aſſentatores attribuunt, quod invictis rationibus facile demonſtratur; nam omnes, licet non ex æquo, vocantur lapides fundamentales, *Eph.* 2. 20. *Revel.* 21. 14. Neque *Petra* ſignificat eo in loco fundamentum eodem ſenſu quo Rupes, *Mat.* 7. 24. ut volunt; nam ibi *Petra* nulla eſt pars fundamenti, ſed ſubſtratum cui domus, etiam ipſum fundamentum innititur.

Secundo, Eadem poteſtas datur omnibus Apoſt. *Mat.* 18. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; Quæ-nâ igitur fuerunt *Petri* prærogativæ.

Primo

Primo, prout nomen innuebat, fuit Ecclesiæ fundamentum, at non eâ ratione, quam somniant Pontificii, quod *Petrus* fundamentum aut columen Ecclesiæ vel unquam fuerit vel esset futurus, seu suâ vel successorum Personâ; sed omnino diversâ de causâ nimirum *Petrus* omnium Apostolorum primus Ecclesiæ fundamentum jecit; ac & cæteri fuerunt Ecclesiæ fundamenta, qui eam quoque fundarunt, *Ap.* 21. 14. ac quia *Petrus* primò hoc fecit, hoc Elogium ei præcipuâ ratione convenit, & *Petrus* ob hanc causam fuit appellatus, nam ille primus inchoavit, primus Evangelium *Judæis* post missionem Spiritus prædicavit, qui dispersi postea inter gentes Ecclesiæ Gentilis semen veluti ac fermentum fuerunt, illi

primò

primo in exſtaſi conſtituto Deus gentium vocationem revelavit.

At Poteſtas conceſſa *Petro* non eum conſtituit ſupremum Caput in terris, & Eccleſiarum omnium *Monarcham*, nec agnovit id St. *Paulus*, cum ei reſtitit in faciem *Gal.* 2. quia non ὀρθοπόδει, non pede recto incedebat in Evangelii negotio; ſolus igitur Chriſtus qui poteſtatem omnem habet eſt, Eccleſiarum omnium Caput, ſolus ille par eſt huic negotio. Tamen hoc præcipuum rete eſt, quo Piſcatores Romani polypos capiunt, qui *Petræ* gaudent adhærere; reverà tamen in ſcopulũ impingunt, utque eſt in proverbio, *Reti ventos venantur*, ſi ſalutem animarum reſpiciamus, aliter illâ Sagenâ captant orbem terrarum, fundamentum ad omne ſuperſtructum

opus ut æque latè pateat, Neceſſe eſt quod homini non competit, nec ulli quidem Angelorum; quod ſi baſis Eccleſiæ totius fuiſſet *Petrus*, ſi ſuper illius perſonam extructa fuiſſet, profectò ſtatim corruiſſet, nempè cum ille Dominum abnegavit. At omnes *Petri* Prerogativæ, ſimul accumulatæ vim habent fortiorem. Unà colligamus, ut videamus quid efficiant viribus conjunctis. viginti numerantur à Pontificiis mutatio nominis *Petri* primus ſemper nominatur, ut os omnium Apoſtolorum. Solus cum Chriſto ambulat ſuper aquas, *Mat.* 14. illi peculiaris Revelatio facta eſt, *Mat.* 16. ibidem dicitur Portæ inferni non prævalebunt contra eam, id eſt, Petrum; Dominus jubet ſolvi tributum pro ſe & *Petro*, *Mat.* 17.

Duo

Duo miracula facta ſunt in piſcatione *Petri*, unum *Luc.* 5. alterum *Joan.* 21. primum notat Eccleſiam militantem, ſecundum triumphantem; Dominus rogavit, ut *Petri* fides non deficeret, *Luc.* 22. Chriſtus reſurgens primum omnium ex Apoſtolis ſe *Petro* videndum præbuit, & primus fuit cui Dominus pedes lavit *Joan.* 13. *Petro* ſoli mortem Chriſtus prædixit *Joan.* 21. *Petrus* tanquam Paterfamilias, *Act.* 1. Colligit in unum cætum Diſcipulorum, & *Act.* 2. primus poſt acceptum Spiritum Sanctum promulgat Evangelium, & *Act.* 3. primum miraculum à *Petro* fit, & *Act.* 5. tanquam ſummus judex agnovit & damnavit fraudem *Ananiæ* & *Saphiræ*, & verbo ſuo occidit. *Act.* 9. *Petrus* tanquam dux tranſivit per

omnes, & *Act.* 10. dicitur illi macta & manduca; rationem attendite Cardinalis, nam Capitis est manducare & trajicere Cibum in Stomachum, *Act* 12. Oratio fiebat sine intermissione pro *Petro* in carcere. *Act.* 15. *Petrus* in consilio primus loquitur, & ejus sententiam omnes alii sequuntur. *Paulus* ad *Galat.* primo dicit post annos tres ascendi *Hierosolymam* videre Petrum, nimirum ut se majorem. His omnibus, si non ut fulmine, tamen ut grandine nos obruere conantur; Sed hæc partim falsa, partī gratis dicta sunt, & omnia collectim infirma nimis, ut iis Ecclesiæ totius primatus superstruatur.

Primo, Falsum est *Petrum* semper primum nominari, ut patet *Cap.* 2. *ad Galat. v.* 9. *Ubi Jacobus Cephæ* præponitur,

ponitur, at ſi primatus in eo fundaretur, id nullo modo fieri oportuit, erraſſet graviter *Paulus*, ut etiam in *Petro* contradicendo neque primo confeſſus eſt *Petrus* Chriſtum eſſe Dei filium, nam ante legimus, *Mat.* 14. 33. quoſdam in navi cum Chriſto dicentes, *verè tu es filius Dei*, quæ confeſſio præceſſit illam *Petri*, *Mat.* 16. in quâ tantam fiduciam collocant. Neque ibi ſtabilitas Eccleſiæ promittitur ſedi Romanæ, ut principi, nam illuc agitur univerſim non partim de Eccleſia, & ejus perpetua duratio promittitur: Nec ſi *Gothi Vandaliq; Romam* ad hunc diem tenuiſſent, ideo Chriſtiana Religio defecerat, potius expolita magis enituerat; At quod *Petrus* cum Chriſto ſolus ſuper aquas ambulabat, inde Monarchi-

am

am ejus inferre quis conaretur niſi cauſæ ſuæ mancipium? Et qui propè demerſus, ut *Petrus*, quidvis ad manũ arripit, advertite miraculum! non aquam ex Petra cum *Moſe*, ſed Petram ex aqua, & inconcuſſum ex incertis undis fundamentum derivavit, infallibile munimentum contrà Portas inferorum. At tributum Chriſtus ſolvit pro ſe & *Petro*, quia ſicut in Chriſto, ſic & in *Petro* omnes continebantur, ſic Romani: Tributum nimirum inde colligunt *Romæ* debitum, ut *Coſmotropoli*, & id (quod mirum) exigunt ex ſolutione; ſed *Hieronymus* in *Mat.* 18. inquit Apoſtolos erroneâ conjecturâ colligentes, inde *Petrum* fore principem omnium, ait Chriſtum reprehendiſſe; Sed poſt Reſurrectionem Chriſtus primum omnium

ex

ex Apoſtolis apparuit *Simoni*, at ante ſe *Mariæ Magdalenæ* videndum præbuit, quare nihil inde deſignavit; at quod propius accedit propoſito, *Petrus* in conſilio prius loquitur *Act.* 15. cui accedunt cæteri. At obſervandum eſt Epiſtolam ad *Antiochenſes* miſſam, omnium nomine ſcriptam fuiſſe, *v.* 23. Sine *Petro* ſpeciatim nominato, quod nunquam certe factum eſſet, ſi *Petrus* omnium caput fuiſſet, infirmiores ſunt cæteræ Prærogativæ, quam quas nominavi & omnes impares tanto Ponti ſuſtinendo, qui ad extremos mundi fines extendatur, ſolus huic operi ſufficit qui condidit omnia.

Hactenus de Capite: jam Eccleſia quid ſit, & quâ ratione Corpus dicitur, inquirendum eſt. Eccleſiæ

vox πλύσημα est, & hic observanda est regula Philosophi, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. At illud Catechismi Romani nullo modo ferendũ est: Cætus Judæorum Synagoga dicebatur, quia pecudum more terrena tantum & caduca spectabant; nam primo Ecclesia Dei Grex vocatur, unde Congregatio; secundo id in Universum, verum non est, (teste *Jobo*, c. 19. *Davide*, *Psalm.* 16. 9. *Daniele* 12. 2.) terrena tantum respexisse. *Chemnitius* discrimen observat inter tres voces ab eâdem origine derivatas, σύνκλησις, διάκλησις & ἐκκλησία; Prima significat, inquit, conventum magnatum & primorum, ut Senatum Romanum, Concilium *Venetorum*; Secunda multitudinem confusam de fæce populi concurrentem, qualis *Act.* 19. 39. maxima pars

pars ignorarunt, quare convenerunt; ἐκκλησία vero ſolemnem & ſobrium eorum conventum, qui jus habent civitatis, cujus Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſunt quaſi nobiles & primates, inferiores, ſuo quiſque loco, proprio munere funguntur; at non eſt confuſa moles & hoc genus omne ſine legibus, ordine, Diſciplinâ, *Cyclopum* hæc turba eſt, ubi ἀκούει οὐδεὶς, οὐδὲν, οὐδενός.

Cum autem multa prædicantur de Eccleſiâ quæ videntur inter ſe pugnantia, nam aliquando comparatur monti conſpicuo, puſillo gregi, Regis filiæ glorioſæ, fæminæ in deſerto; diverſæ diſtinctiones ſunt quæ conciliant hæc adverſis frontibus occurrentia.

Eccleſia eſt aut univerſalis aut particularis, prima, terno nomine,

 reſpectu

reſpectu temporis, loci, perſonarum; ſi tempus reſpiciamus, omnes fideles à principio mundi ad finem ſunt Eccleſiæ membra; ſi locum, omnes ubicunque terrarum; ſi perſonas, cujuſque ſunt conditionis, ſexus, ætatis, gradus admittuntur, & per gratiam Capiti Chriſto inſeruntur.

Univerſalis Eccleſia, eſt vel Militans vel Triumphans: Romani Tertiam adducunt ſpeciem Eccleſiæ laborantis in Purgatorio, ſed nos hanc anilem fabulam rejicimus, ut & *Socinianorum*, qui affirmant nullam adhuc Eccleſiam eſſe triumphantem, ut *Smaltius* contra *Frantzium* Diſput. 8. de Eccleſ. *Cæleſtis* autem civitas ex iis componitur, qui poſt victoriam coronantur, quibus Angeli, qui primam ſtationem

nem non deseruerunt, ascribuntur, *Heb.* 12.

Ecclesia militans, est vel per orbem diffusa vel collecta & repræsentativa, ut prima quatuor concilia generalia, quæ *Gregorius ille Magnus* non multò minoris æstimavit, quàm quatuor Evangelia; Et si talia jam cogerentur (quod vix sperandum est) quæ sine studio partium pie sobrieque veritatem quærerent iis morem gerere teneremur, at hæc decollavit spes & jam diu expiravit, nihil jam supereſt præter vota quæ sunt somnia vigilantium.

Particulares Ecclesiæ sunt ad certos locos, & regiones determinatæ, ut ad *Corinthum*, *Ephesum*, & illæ *Minoris Asiæ*, quæ nunc sub jugo *Turcarum* ob eadem quæ apud nos a-

 guntur,

guntur, ingemiſcunt, det Deus ut quorum facta imitamur, eorum exitus perhorreſcamus.

Sed *Eccleſiam* definire multi ſatagunt, Patres Rhetoricè potius deſcribunt, quam definiunt. Scholaſtici, non tam de naturâ quærunt quam de Authoritate litigant, *Damaſcenus* inter Græcos (qui primum Theologiam in compendium redegit) & *Lumbardus* apud Latinos eum ſequutus, vix attingunt. Romani ſine *Româ* nullam admittunt Eccleſiam definiri poſſe; quaſi abſque illâ non poſſit concipi.

Sed cum ſcire ſit, per cauſas cognoſcere, eas primum inquiramus; dein ex iis definitionem colligemus. Cauſæ quatuor ſunt, efficiens, materialis, formalis, & finalis, ut cum Scholis loquamur.

Prima,

Prima est Deus Pater, ideo vocatur Ecclesia civitas Dei, & ejusdem agricultura & vinea. Sed cum hoc opus externum sit omnibus Personis commune est, at peculiari ratione κλῆσις, 2. *Tim.* 1. 9. Deo Patri ascribitur.

Instrumenta sunt in manu Dei vel ἀρχιτέκτονες quales Patriarchæ & Prophetæ fuerunt sub vetere Testam: Apostoli & Evangelistæ sub novo; alii sunt ab Ecclesiâ sacris ordinibus solemniter induti, & qui ritè missi sunt ad Evangelium prædicandum & Administrandum Sacramenta.

At de materia vel Personis ex quibus Ecclesia consistat magna est controversia; *Pelagiani* nullos admittunt, nisi perfectos & à peccato immunes, sic & *Donatistæ* quos

quos St. *Auguſt.* redarguit *lib.* de *Hæreſ. Cap.* 8. dicens, quaſi non ſit Eccleſia Chriſti quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, *dimitte nobis debita noſtra*, quæ Hæreſis conſopita paululum, ſæpius reſuſcitata fuit ab *Anabap.* (Nam error, ut *Arethuſa*, quaſi ſub terris aliquandiu tectus, iterum emergit) at illi ſatis refelluntur, ex eo quod Eccleſia comparatur agro, qui non ſolum tritica gerit ſed & zizania; reti, quod non ſolum bonos ſed & malos piſces continet; areæ, ubi paleæ frumento commiſcentur; domui, in quâ ſunt non ſolum vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & teſtacea & quædam quidem in honorem, quædam autem in dedecus, 2 *Tim.* 2. 20.

Eccleſiæ forma duplex eſt, vel

vel interna vel externa, prima eſt vel unio cum Capite Chriſto per veram & vivam fidem, quâ illi realiter inſerimur, ut brachia viti, quæ unio realis eſt, ut opponitur fictitiæ, quamvis politica dici poſſit; ut nos verè *Carolo Sereniſſimo* ſubdimur non per figmentum ſolum, licet hæc ſubjectio ſit Politica. Vel unio membrorum eſt per charitatem, *Eph.* 4. 3. hæc per ſchiſmata violatur.

Externa Eccleſi forma eſt ordo, quem *Ariſtot.* vocat τάξιν τῆς πόλεως. Hic non ingreditur eſſentiam, quare non omnes Eccleſiæ uni & eidem formæ obligantur, ideo quamvis optandum eſſet, ut idem ordo in omnibus obtineret, qui fuit tempore Conſtantini & Theodoſii, tamen non extra Eccleſiam ſtatim illos

illos ponimus, qui non eoſdem nobiſcum ritus exercent; abſit à nobis procul hæc durities & rigor; non ſic Chriſtum didicimus, hæc eſt noſtra moderatio, quæ omnibus innoteſcat; quamvis, ut *Nazianzenus* olim queſtus eſt, *Orat.* 14. εἰρήνικον ϗ μέσον ὑπ' ἀμφοτέρων πάσχει κακῶς, ex unâ parte Charitas noſtra vapulat ab iis quinos ἀναθήματι percutiunt, ab alterâ ritus; innocui qui ad decorum tendunt, inventiones vocantur Apoſtaticæ & Antichriſtianæ.

Cauſa finalis duplex eſt, ultima & intermedia, prima eſt Dei Gloria, ad quam omnia dirigenda ſunt; Et Finis intermedius eſt, ut Eccleſia ſanctificetur, & renovetur hic, et in futuro recipiatur in Gloriam æternam.

Ex his cauſis hanc definitionem colli-

colligimus, Eccleſia Societas eſt fidelium, qui vocantur à Deo per Evangelii prædicationem à ſtatu corruptionis ad adoptionem, & uniuntur Chriſto ut Capiti per fidem, & membris per Charitatem ad Dei Gloriam & eorum ſalutem æternam. Jam ex eo quod Eccleſia ſit Societas, habere poteſtatem leges condere circa res adiaphoras, ordinem & regimen facile conſtat, non enim hoc trahitur ex præmiſſis, ſed ſponte ſequitur, & omni ſocietati commune eſt.

At Videamus jam quæ conducunt ad ſanitatem Corporis, ea petenda ſunt ab attributis Eccleſiæ, quæ vocatur una, ſancta, Catholica & Apoſtolica, primò de unitate. Quantum hæc facit ad ſalutem corporis, omnes agnoſcunt, etiam

qui violant, qui pessundant & lacerant Ecclesiam, quid enim est vulnus, nisi læsio continui aut morbus nisi à temperaturâ debitâ recessio, quæ maxime fit per discordiam? At cum unitas sit facinorosorum (nam Hæretici unitatem fecerunt contra unitatem, inquit *Aug. Serm.* 6. de verb. Domini) ideo sit primò consensus in veritate, nam κρεῖσσον ἐριστικῆς ὁμονοίας ἡ κατὰ εὐσεβείας διάστασις, inquit *Nazian.* Oratione de pace. Sed ut in omnibus consentiamus, optandum potius, quam sperandum est; at primo in animi præparatione necessaria est omnibus Christianis unitas in omni veritate, charitate vitæque sanctimonia. Secundo, Actualis unitas in Fidei fundamentis & Officiis charitatis absolute necessaria est Christianis, *Heb.* 12. 14.

At

At unitas perfecta, quæ differentiam omnem excludat, diversasque sententias, nunquam fuit nec unquam futura est in Ecclesiâ militante, nam inter Apostolos fuit contentio, *Lucæ.* 22. 14. inter *Africanam* & *Europæam* Ecclesias de Rebaptizatione, inter Occidentalem & Orientalem de Paschate. Romani qui jactant unitatem, tamen de re maximâ litigant, Ecclesiæ nimirum Authoritate suprema; quidam eorum (quorum interest) in Papâ collocant, alii qni sunt à Papâ remotiores, in concilio generali, neque hoc solum apud Theologos agitatum fuit, sed in conciliis nimirum *Constanſienci* collecto, *Anno* 1414. & *Basilienſi* 1431. quod priorem sententiam comprobavit.

Secundo, De Potestate Papæ circa temporalia, quæ Christianum orbem concussit, tres sunt opiniones, prima est quod nullam habet Divino jure, sed ex consensu Principum, ita *Petavius*, *Occhamus*, *Ferus*; alii ex oppositio dicunt eum habere cælitus omnem potestatem in res & Personas, ut *Carerius*, *Bossius*, at alii non tam in audaciam projecti, dant illi potestatem omnem in ordine tamen ad Spiritualia.

Tertio, Dissentio est inter *Dominicanos* & *Franciscanos* de gratiâ & libero arbitrio de conceptione Beatæ Virginis, de quibus (ut Seneca de Philosophis,) non magis inter eos convenit quam inter Horologia vel Colleg. *Sorbon.* & *Romæ* tutelares Angelos. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* At in hoc sapiunt

ſapiunt quod propter prædicta non erumpunt in Schiſmata, ſed in Arcâ conveniunt metu diluvii, tam puri quam impuri, quod Diſciplinæ tribuendum qua muniuntur adverſus exteros, ut Ethnici Romani floruerunt non tam juſtitiæ cauſa quam ſtricto Regimine.

Secunda, Res ſaluti Corporis inſerviens eſt ſanctitas qua inſigniri debet Eccleſia Dei, cui diſcordia nocet, ut vulnus & diſlocatio membrorum, vitia vero ut humores nocivi qui ſunt expurgandi, ſed hic magnas effundunt glorias Romani, jactant ſanctitatem Paparum, Cardinalium, Epiſcoporum, voluntariam paupertatem, & obedientiam utriuſque ſexus imo ſuper legem, ſupra mandatum conturbatur *Atlas*. Debitam iis laudem non negamus,

gamus, in multis eorum Auſteritas nobis opprobrium eſt: Atqui ſi ſentinam hic moverem, fætore vos offenderem, ſi fides illis adhibenda eſt qui Eccleſiæ Romanæ mordicus adhærent, quorum extant de vitiis eorum querimoniæ & gemibunda ſuſpiria.

Secundo, Vix ulli meliores ſunt Principiis quibus gubernantur, & Rectoribus quibus cæcam præſtant obedientiam; in conſcientiæ caſibus qui ſolutiores? Ab indulgentiis cælum eſt venale, confeſſio, prout in uſu eſt, ſtomachum præparat ad vomitum relambendum.

Tertium ad ſanitatem faciens eſt Catholicon Eccleſia dicitur univerſalis reſpectu Temporis, loci, Perſonarum, Doctrinæ, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς, inquit *Cyril.* Catech. 18. & hacte-

hactenus convenimus, at Catholicam Romanam ut incongruè dictã rejicimus, rem ipsam secundum *Vincent. Lirinensis* regulam amplectimur, & ad eam provocamus, & cum eo dicimus *Cap.* 25. adverſ. novi. Ille est verus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Corpus Christi diligit, qui Catholicæ fidei nihil præponit.

Quarta, Causa quæ firmat Ecclesiæ Corpus est antiquitas non, enim ætate debile fit & effætum ut humana corpora, sed authoritatem illi conciliat veneranda canities, *Cruda Deo Viridisque Senectus.* Apostolica dicitur Ecclesia respectu Plantationis, Ordinationis, Doctrinæ, primo fundata fuit per Apostolos, viros Apostolicos, Christo angulari Lapide. Nominare singulos & per

quos

quos primum inchoatæ ſunt, eſſet totam Eccleſiaſticam Hiſtoriam percurrere, mihi ſufficit illud St. *Pauli*, *Rom.* 10. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum*, imo in Angliam ab orbe diviſam aut Apoſtolorum tempore, vel ſaltem. *Eleutherii* Pontificis *Anno* 180.

Secundo, Dicitur Apoſtolica reſpectu Ordinationis & ſucceſſionis ab Apoſtolis, ſic Eccleſia *Alexandrina* cenſetur à S. *Marco* à *Jacobo Hieroſolymitana* & talem ab Apoſtolis derivationem *Tertul.* ab Hæreticis poſtulat lib. de Præſcriptione adverſus Hæreticos *Cap.* 32. Edant Origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis attingat,

gat, idem si à nobis exigant Romani, dicimus ab antiquâ *Româ* derivamur tum illibatâ & castâ, nunc autem infami prostibulo.

Tertio, Dicitur Apostolica respectu Fidei & Doctrinæ Apostolicæ; idem *Tertul.* eodem in loco citato: Ecclesiæ quæ nullum ex Apostolicis proferant, tamen in eadẽ fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate Doctrinæ, *hic Lapis est Lydius*, absque hoc alia prætexta sunt inania, velut Templum Domini, Templum Domini. Non habet *Petri* hæreditatem qui *Petri* fidem non habet, St. *Amb.* lib. 1. de *Pœnit.* ad hanc appellamus, per hanc rejicimus preces incognitas, siccam Eucharistiam, Idolorũ cultum & reliquiarũ, Sanctorum invocationem,

Papæ Regnum Monarchicum, quia mundum ſapit.

Reſtat, ut vos exorem, Chariſſimi Fratres, in hæc ſedulo incumbere, primo ὀρθοπαθεῖν, cum inter extrema collocemur, quorum unum defectum nobis objicit, quia noluimus talia recipere pro nutrimento qualia *Daniel* miniſtravit Draconi, quæ Deum fictitium inflatu diſruperunt, contrarium nobis exceſſum impingit, quoniam antiquitatem reveremur, & ita *Romam* fugimus ut ne præter caſam, quod aiunt, in phanaticum furorem incidamus.

Secundum, Quod vos rogatos velim eſt, ut cum velut his obſidemur, evigilemus unitis viribus, ſi dormiamus inter hos ſatellites latera pulſabit nobis Angelus Domini dicens,

cens, ſurgite celeriter, expergiſcimini, nam Hoſtes excubant, & in procinctu ſtant adverſis frontibus, & in nullâ re conſpirantes præterquam in Eccleſiæ noſtræ ruinâ, quam Chriſtus qui redemit, tueatur & amen dicant omnes qui bene cupiunt *Sioni.*

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, Charitas Patris & communio Spiritus Sancti ſit nobiſcum omnibus nunc & in Secula.

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

FINIS.